

CCXXX.

Anno 1706. die 25. Maji. Viennae.

Josephus Rex fidelia Croatarum servitia laudat.

Leopoldus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus &c. &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Dum benigna recordatione revolvimus, qua illibata fidelitate, Candore animi et alacri promptitudine Status et Ordines Regni Nostri haereditarij Croatiae in omnibus priorum temporum etiam periculosissimis revolutionibus pro Augustissima Domo Nostra se et sua impenderint, et non tantum Contra Communem Christianitatis hostem cum multa profusione Sanguinis strenue semper decertantes plurima generosi pectoris specimina exhibuerint, verum etiam nefarios Hungariae tumultus semper abhorrentes refractaria Seditione nunquam se Contaminarint: Certe non sine speciali et abundanti voluptate animi hoc memorare possumus; Siquidem quae antehac tam laudabiliter facta sunt, apud Nos et tempore Nostri gloriosi Regiminis fienda Nobis fidentissime adpromittimus, praesertim in occurrentijs, quae rem Communem et Regni incolumitatem spectant, aut ad sedandos perniciosos Hungariae tumultus requiri possent. Qua in fiducia vos benigne assecuramus, officia et servitia Nobis et Domui Nostrae praestanda in ea semper consideratione futura, ut de innata clementia Nostra et Copiosis Caesareis Regijsque gratijs continuo securi esse poteritis, prouti Vobis gratiam Nostram Caesaream ac Regiam hisce benigne affirmamus. Dabantur in civitate Nostra Vienna Austriae, die vigesima sexta mensis Maji Anno millesimo septingentesimo sexto, Regnorum Nostrorum Romani Decimo septimo, Hungariae Decimo nono, Bohemiae vero secundo.

Josephus m. p.

Leop. Comes ab Herberstein m. p.

Ad Mandatum Sacratissimae Caesareae Maiestatis proprium:

Zacharias Manophilus Campmiller m. p.